

*Sparso verbi semine ;  
Sui moras incolatus  
Miro clausit ordine .  
In Suprema nocte cana  
Recumbens cum Fratribus  
Observata lege plene  
Cibus in legalibus .  
Cibum turba duodena  
Se dat suis manibus .  
Verbum caro , panem verum  
Verbo carnem efficit :  
Fitque Sanguis Christi merum ,  
Et si sensus deficit :  
Ad firmandum cor sincerum  
Sola fides sufficit .  
Tantum ergo Sacramentum  
Veneremur cernui :  
Et antiquum documentum  
Novo cedat ritui :  
Præset fides Supplementum  
Sensuum defectui .  
Genitori , Genitrici  
Laud , & jubilatio ;  
Salus , honor , virtus quoque  
Sit , & benedictio :  
Procedenti ab utroque  
Compar sit laudatio . Amen .  
Ob. Panem de celo præstitisti eis , Alleluja .  
Fr. Omne delectamentum in se habentem , Alleluja .  
Oremus .  
Ob. Deus qui nobis sub Sacramento mirabili  
passionis tue memoriam reliquisti : tribue  
quæsumus , ita nos Corporis , & Sanguinis  
tui sacra mysteria venerari ; ut Receptio-  
nis tue fructum in nobis jugiter sentiamus .  
Qui vivis , &c .  
Fr. Amen .  
In Missa pro Defuncto .  
Principio .  
Ob. Veni Sancte Spiritus , &c . Uti supra .  
In fine Missæ .  
Ob. Oremus pro fidelibus , &c .  
Fr. Requiem æternam , &c .  
Ob. Requiescant in pace .  
Fr. Amen .  
Ob. Absolve quæsumus Domine animam fa-  
muli tui . N. ut defunctus sæculo , tibi vi-  
vat , & quæ per fragilitatem carnis huma-  
na conversatione commisit , tu venia mise-  
ricordissimæ pietatis absterge .  
Deus venia largitor , & humane salutis ama-  
tor , quæsumus clementiam tuam , ut no-  
stra Congregationis fratres , propinquos ,  
& benefactores , qui ex hoc sæculo transie-  
runt , Beata Maria semper Virgine inter-  
cedente , cum omnibus Sanctis tuis ad per-  
petuam beatitudinis consortium pervenire  
concedas . Qui vivis , &c .  
In diebus exercitiorum mortis .  
Principio .  
Ob. Veni Sancte Spiritus , reple tuorum cor-  
da fidelium .  
Fr. Et tui amoris in eis ignem accende .  
Ob. Dominus vobiscum .  
Fr. Et cum Spiritu tuo .  
Oremus .  
Ob. Actiones nostras , &c .  
Fr. Amen . ut supra .*

Ad finem .  
Ob. Benedicamus Patrem , &c .  
Fr. Laudemus , &c .  
Ob. Dominus vobiscum .  
Fr. Et cum Spiritu tuo .  
Oremus .  
Ob. Deus cujus misericordia non est nume-  
rus , &c .  
In principio Congregationum .  
Ob. Veni Sancte Spiritus , &c . ut supra .  
Oremus .  
Ob. Mentis nostras quæsumus Domine , lumi-  
ne tuæ claritatis illustra , ut videre possi-  
mus , quæ agenda sunt , & quæ recta sunt ,  
agere valeamus . Per Christum , &c .  
Fr. Amen .  
In fine .  
Ob. Confirma hoc Deus ,  
Fr. Quod operatus es in nobis .  
Ob. Dominus vobiscum .  
Fr. Et cum Spiritu tuo .  
Oremus .  
Ob. Præsta quæsumus Domine auxilium gra-  
tia tuæ , ut qua te auctore facienda cogno-  
vimus , te adjuvante eadem impleamus . Per  
Christum Dominum nostrum .  
Fr. Amen .  
Ob. Fidelium Anima , &c .  
Fr. Amen . Finis .  
§.2. Cum autem , sicut eadem expo-  
sitione subiungebat , dicti Exponentes Con-  
stitutiones prædictas , quo firmius subsistant ,  
& serventur exactius apostolicæ confirma-  
tionis nostræ patrocinio communiri , aliis-  
que Confraternitatis sub eodem Instituto ,  
& nomine Scholæ Christi erectis , seu eri-  
gendis appellatione , ut infra , a Nobis in-  
dulgeri tummore desideret : Nos piis  
eorundem Exponentium votis quantum  
Nobis ex alto conceditur favorabiliter an-  
nuere volentes , & eorum singulares per-  
sonas a quibusvis excommunicationis , sus-  
pensionis , & interdicti , aliisque ecclesie-  
sticis sententiis , censuris , & penis a jure ,  
vel ab homine quavis occasione , vel causa  
latis , si quibus quomodolibet innodata exi-  
stunt , ad effectum præsentium dumtaxat  
consequendum harum serie absolventes ,  
& absolutas fore censentes , supplicationi-  
bus eorum nomine Nobis super hoc humil-  
liter porrectis inclinati , præinsertas Con-  
stitutiones in Congregatione Venerabilium  
Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium  
& Regularium præposita de mandato no-  
stro examinatas , & approbatione , ac con-  
firmatione apostolica dignas iudicatas , au-  
thoritate apostolica tenore præsentium ap-  
probamus , & confirmamus pro Congrega-  
tionibus , seu Confraternitatibus sub nomi-  
ne Scholæ Christi , & sub earundem Con-  
stitutionum observantia tam huc usque ere-  
ctis , quam in posterum erigendis in uni-  
versis Regnis , & Dominis Hispaniarum ,  
ac etiam in Alma Urbe nostra ; & huiusmo-  
di Congregationes , seu Confraternitates  
de Indulgentiis concessis prædictæ Congre-  
gationi , seu Confraternitati Madritensi  
eiusdem nominis participare indulgemus .  
Decretum .

Pontifex con-  
firmat ut in  
Rubrica .

§.3. Decernentes omnes , & singulas  
Constitutiones præinsertas , ac præsentis  
litteras semper firmas , validas , & efficaces  
existere , & fore , suosque plenarios , & in-  
tegrus effectus sortiri , & obtinere , ac illis ,  
ad quos spectat , & pro tempore spectabit ,  
plenissime suffragari , & ab illis respective  
inviolabiliter observari ; Sicque in præmis-  
sis per quoscumque Iudices ordinarios , &  
delegatos , etiam causarum Palatii Aposto-  
lici Auditores , iudicari , & definiti debe-  
re , ac irritum , & inane , si secus super his  
a quoquam quavis auctoritate scienter , vel  
ignoranter contigerit attentari .  
§.4. Non obstantibus nostra , & Can-  
cellariæ Apostolicæ regula de non conced-  
endis Indulgentiis ad instar , aliisque Con-  
stitutionibus , & Ordinationibus Apostolicis  
, ceterisque contrariis quibuscumque .  
§.5. Volumus autem , ut earundem  
præsentium litterarum transumptis , seu  
exemplis , etiam impressis manu alicujus  
Notarii publici subscriptis , & sigillo ali-  
cujus personæ in ecclesiastica dignitate con-  
stitutæ munitis , eadem proferat fides ubi-  
que locorum , & gentium adhibeatur , quæ  
ipsismet præsentibus adhiberetur , si forent  
exhibita , vel ostensa .  
Datum Romæ apud S. Mariam Majorem  
sub Annulo Piscatoris die 10. Aprilis 1665.  
Pontificatus nostri Anno X.

Derogatio  
contractionum

Transumptio-  
rum fides .

Dat. die 10.  
Apr. 1665.  
An.X.

DVII.

Ex Regest. in  
Secr. Breve .

Commissio Nuncio Poloniæ super convo-  
catione novi Capituli Monachorum Ru-  
thenorum Ordinis S. Basilii Magni cum  
opportunitis facultatibus .

Dilecto filio nostro , & Apostolicæ Sedis apud  
eharissimè in Christo filium nostrum Joannem  
Casmirum Poloniæ , & Sveciæ Regem  
Illustrem Nuncio .

ALEXANDER PAPA VII.

Dilecte fili salutem , & apostolicam  
benedictionem .

Exordium .

Sollicitudo pastoralis officii , quo Ca-  
tholicæ Ecclesiæ regimini divina dispo-  
sitione præsidemus , nos admonet , ut exor-  
tas inter quoscumque Christianos , & præ-  
sertim illos , qui a fluctibus sæculi in Re-  
ligiosæ vitæ portum confugerunt , dissentio-  
nes opportunis remediis tollere , & pacem  
sine qua non bene colitur pacis auctor , re-  
ducere , & stabilire satagamus , sicut ma-  
tura consultatione adhibita , conspiciamus in  
Domino salubriter expedire .

Motiva .

§.1. Cum itaque , sicut accepimus ,  
Christianos Rutheni cum Sancta Romana  
Ecclesiæ uniti , variis dissidiis agitentur , &  
eiusmodi dissentionibus præcipue causam  
dederit celebratio duorum Capitulorum ,  
in quorum uno Ven. frater Archiepiscopus  
Polocen-cum adhærentia quorundam pau-  
corum suorum sequacium se in Abbatem ,

sive Superiorem Generalem Monachorum  
Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni ad sui  
vitam elegi curaverat ; in altero vero re-  
liqui Monachi Rutheni Ven. etiam fratrem  
Episcopum Chelmen. in eorum Abbatem ,  
sive Superiorem Generalem elegerant ;  
memoratus autem Episcopus Chelmen.,  
apud Congregationem Ven. Fratrum no-  
strorum ejusdem S. R. E. Cardinalium ne-  
gotiis propagandæ Fidei præpositorum pluri-  
mies infestetur , ut primordium Capitulum  
nullum declararetur , quippe quod legiti-  
mum esse non poterat , propter defectum  
auctoritatis , qua dictus Archiepiscopus ca-  
ruisse reperiebatur ,

Hinc est , quod Nos ejusmodi dissidiis ,  
& dissentionibus remedium quantum No-  
bis ex alto conceditur adhibere , utque Mo-  
nachi præfati solliciti fervent unionem spi-  
ritus in vinculo pacis providere cupientes ,  
ac de tua fide , prudentia , charitate , inte-  
gritate , & religionis zelo plurimum in Do-  
mino confisi , de præfatorum Cardinalium  
consilio , discretionis tuæ per præsentis com-  
mittimus , & mandamus , ut minime at-  
tentis dictis duobus Capitulis , novum Ca-  
pitulum dictorum Monachorum Rutheno-  
rum , auctoritate nostra Apostolica convo-  
ces , & canonicè congregari cures , illiq;  
eadem auctoritate præsideas , ac sedulo pro-  
cures , ut in eodem novo Capitulo electio  
Abbatis , seu Superioris Generalis Mona-  
chorum præfatorum de persona alicujus  
Monachi expresse professi dicti Ordinis , qui  
utriusque partium quantum fieri poterit mi-  
nus suspectus , iisque moribus , discretionem ,  
prudentia , charitate , ac pacis , & religio-  
nis zelo præditus sit , ut ad reconciliandos  
animos , concordiamque quantum divina  
bonitas dederit restituendam , & constabi-  
liendam aptus habeatur , fiat : Nos enim  
Te novi Capituli huiusmodi nostro , & Apo-  
stolicæ Sedis nomine Præsidentem cum au-  
thoritate , facultatibus , jurisdictione , ho-  
noribus , & oneribus similibus Præsidenti-  
bus , & aliis solitis , & consuetis dictæ au-  
thoritate harum serie facimus , constituimus ,  
& deputamus , tibi que quascumque  
necessarias , & opportunas ad præmissa fa-  
cultates tribuimus , & impertimur ; salva  
tamen semper in præmissis auctoritate  
Congregationis præfatorum Cardinalium .

Ceterum Te in Domino hortamur , &  
monemus , ut novum Capitulum huiusmo-  
di fideliter regere , ac in illo omnia , quæ  
ad prosperum dictorum Monachorum Ru-  
thenorum regimen , & gubernium pertinent  
decerni , statui , & ordinari cures , & facias .

Mandantes propterea in virtute San-  
ctæ obedientiæ dilectis filiis eorundem  
Monachorum Superioribus quocumque ; no-  
mine nuncupatis , ceterisque Monachis , &  
specialiter Vocalibus in præfato novo Capitu-  
lo congregandis , aliisque ad quos pertinet ,  
ut Te ejusdem Capituli nostro , & dictæ  
Sedis nomine Præsidentem reverenter  
suscipiant , Tibique in præmissis pareant ,  
obediant , & assistant , ac tua salubria mo-  
nita , & mandata humiliter suscipiant , &  
assistent .

Commissio  
Nuncio ut no-  
vum Capitulum  
convocet .

Cum omni-  
moda facultate  
etiam pa-  
nienli inob-  
edientes .

assistant, ac tua salubria monita, & mandata humiliter suscipiant, & efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Contrariis derogat.

§.2. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque;

Dat. die 13. Maii 1665. An. XI.

Datum in Arce Gandulphi Albanens. Duce. sub Annulo Pisc. die 30. Maji 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

D VIII.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Ut Breve super confirmatione quorundam Decretorum Provinciae S. Ivonis Tertii Ordinis S. Francisci Congregationis Gallicanae servetur in Provincia S. Ludovici Ordinis huiusmodi.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad futuram rei memoriam.

Supplicatio.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Claudius Salivensis Frater expresse professus, ac in Romana Curia Procurator Provinciae S. Ludovici Congregationis Galliae Fratrum Tertii Ord. Sancti Francisci, quod ad evitanda gravia inconvenientia, quibus in casibus occurrentibus per Statuta Generalia Ordinis huiusmodi a Sede Apostolica approbata, praesertim adveniente morte Ministri Provincialis, ac morte pariter, seu vacatione Definitoris cujuslibet, sufficienter provisum non est, in ultimo Capitulo Provinciali Provinciae praefatae unanimi consensu omnium Vocalium decretum fuit sub nostro, & dictae Sedis beneplacito in Provincia S. Ludovici huiusmodi in posterum observanda fore nonnulla Decreta ante hac pro Provincia S. Ivonis dicti Tertii Ordinis facta, & a Nobis per quasdam nostras in simili forma Brevis die 26. Februarii 1660. expeditas literas confirmata, tenoris, qui sequitur, videlicet.

§.2. Quod si Provinciale Ministerium in Officio mori contigerit Guardianus loci, ubi obierit, & Secretarius defuncti scripturas quascumque ad Provinciam, & negotia quovis modo spectantes, nihil omnino legendo, minoribus Provinciae, & loci si-

gillis bene munitas ad Provinciale novissime absolutum, vel eo deficiente ad antiquiorem in Religione Patrem, qui Praelatus, vel Provinciae Vicarius, vel utriusque defectu, qui Definitoriatus officio functus fuerit, una cum sigillis Provinciae deferant, & assignent; praedicta vero ubi Provincialis absolutus, aut unus ex supra dictis juxta praescriptum ordinem acceperit, is absque mora, convocato Definitorio faciet Vicarii Provincialis electionem, in qua votum activum ipse cum aliis, qui munus Provincialatus, & Vicariatus Provincialis munus egerint, Definitoribus tam actualibus, quam qui olim fuere habebit. Passivum vero omnes, quos ad Provincialatum habere Statuta decernunt, quod si Minister Generalis intra tres dies consistat, consulendus est, & ejus responsio expectanda; si tamen longius abijt eo inconsulto fiat electio. In Capitulo autem Provinciali proxime sequenti, si biennio integro, seu in duobus Definitoriis consecutivis Provinciae Vicariatu functus fuerit ad Provincialatum, minime assumi valeat, sed toto triennio consequenti Exprovincialatus jure gaudeat. Si quis Definitor actualis moriatur, sive alia ratione vacaverit, ejus loco subrogetur, & pro subrogato habeatur ipso facto qui antiquior in Religione Provincialatus, vel Vicariatus Provincialis, & iis deficientibus Definitoriatus munere alias functus est; si vero tales defuerint, subrogetur Guardiani actuales in Religione antiquiores; subrogatus autem ultimum locum in confesso habeat inter reliquos Definitores, & in Capitulo Provinciali proxime sequenti ad huiusmodi Definitoriatus munus assumi minime valeat, si biennio integro in eo munere extiterit, seu duobus Definitoriis adfuerit.

§.3. Quare dictus Claudius Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum Claudium specialis favore, gratiae prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, necnon dictarum literarum nostrarum tenorem praesentibus pro plene, & sufficienter expresso, & inserto habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio attentis narratis, ac audito per eosdem Cardinales Venerabiles etiam Fratres nostros Franciscus Episcopo Portuensi, ejusdem S. R. E. Cardinale Barberino nuncupato Ordinis huiusmodi apud Nos, & Sedem praefatam Protectore, ut praefatae nostrae in forma Brevis literae pro S. Ivonis Provinciae expeditae juxta tenorem supra

Ut Breve expeditum pro Prov. S. Ivonis servetur in Provincia S. S. Ludovici mandat. Pont.

Decretum irritans.

expressum in posterum, etiam in dicta Provincia Sancti Ludovici, prout resolutum fuit in Capitulo Provinciali, inviolabiliter observentur, auctoritate apostolica tenore praesentium mandamus.

Derogatio contrarium.

§.4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Dat. die 5. Junii 1665. An. XI.

§.5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Ordinis, & Provinciae S. Ludovici huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 5. Junii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

DIX.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Constitutio contra quasdam censuras fscul tatis Theologicae Parisien.

ALEXANDER EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pont. damnat. censuras quasdam latus a facultate Parisiensis in consilio Papa.

CUM ad aures nostras pervenerit duos prodisse libros, quorum alteri titulus est: Censura Sacrae facultatis Theologiae Parisien in librum, cui titulus est: la defense de l'autorité de N. S. P. le Pape de Nosseigneurs le Cardinaux les Archevesques, & Evesques, & de l'Employ de Religion Mendians, contre les erreurs de ce temps par Jacques de Vernat a Metz 1658. Alteri vero titulus est: Censura Sacrae facultatis Theologicae Parisiensis in librum, cui titulus est: Amadei Grimensis Lomarenis olim primarii Sacrae Theologiae Professoris opusculum singularia universae fere Theologiae moralis complectens adversus quorundam expopulationes contra nonnullas Jesuitarum opiniones morales ad tractatus de peccatis de opinione probabili edito novissime, &c. Lugduni sumptibus Philippi Borde, Laurenti Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

tii Arnand, Petri Bordè, & Guillelmi Barbier 1664. cum appositione, & Superiorum permisso Parisiis 1665. in quibus libris censura praesumptuosa notantur aliquae propositiones, exque praesertim, quae ad Romani Pontificis, & Sanctae Sedis Apostolicae auctoritatem, Episcoporum jurisdictionem, Parochorum munus, privilegia a Sancta Sede concessa, dispensationes Apostolicas, actionumque moralium regulam pertinent, & aliae quae & gravissimum scriptorum auctoritate, & perpetuo Catholicorum usu nituntur, & cum fieri non possit sine publico Cathol. Religionis detrimento ut praedictae censurae in commemoratis libris sine debita Ecclesiae animadversione, & damnatione remaneant; Nos pro Apostolico munere, quo licet immeriti fungimur, ut gravissimo scandalo, quod inde Catholicis accidere posset occurramus, habitis prius doctissimorum, ac insignium in Sacra Theologia Magistrorum, ac Professorum, ac Sacrarum Sedis Apostolicae Congregationum qualificatorum, quos ad haec specialiter deputavimus consultationibus, ut rei gravitas videbatur postulare, necnon auditis suffragiis Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana generalium inquisitorum, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictas censuras uti praesumptuosas, temerarias, atque scandalosas, auctoritate Apostolica damnamus, & pro damnatis haberi volumus, easque nullius valoris, & roboris fuisse, sed cassas, & irritas esse declaramus.

Adit. censuras contra inobedientes.

§.1. Mandamus insuper ne quisquam ex Christianis libris cujuscumque gradus, ac dignitatis existat, etiam Episcopali, Archiepiscopali, Patriarchali, aut alia majori dignitate, etiam speciali, & specialissima nota digna suffulti praedictas censuras approbet, sequatur, atque defendat, neve in publicis, aut privatis lectionibus, disputationibus, sessionibus, aut aliis actibus publicis illas sequatur, tueatur, aut doceat, neve in libris, aut etiam scripturis publicis, vel privatis aut alio quocumque modo illas alleget sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda cujus absolutionem Nobis, & Sedi Apostolicae referavimus.

Ad Typographos, & Bibliopolas, qui extendit ut in rubrica.

§.2. Praeterea Typographis, ac Bibliopolis expresse prohibemus, ne praedictos libros, & censuras imprimere, ac typis mandare, minisque impressas vendere audeant ac praesumant sub eadem poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda.

Libros, & scripturas quasdamque aliam materiam pro habet.

§.3. Insuper libros, scripturas, & alia opera, in quibus praedictae censurae quomodolibet continentur, laudantur, & defenduntur Apostolica auctoritate prohibemus, ac pro vitis haberi volumus, mandamusque ne amplius illos, ac illa legere, aut penes se retinere praesumant; sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus in locis, in quibus Sanctissimae In-

K qui

quisitionis officium exercetur consignat sub pena excommunicationis, ut supra ipso facto incurrendae, dictisque Ordinariis, ut etiam tanquam Apostolice Sedis delegatis, necnon praedictis haereticae pravitate Inquisitoribus districte praecipimus, ut contra transgressores, inobedientes, ac rebelles diligenter inquirent, ac procedant, & ad declarationem dictae excommunicationis, & ad alias poenas pro gravitate ipsorum inobedientiae, & transgressionis pro eorum arbitrio procedat.

Decretum  
Italicum.

§.4. Ceterum ulterius de praedictis censuris judicium, deque opinionibus in dictis libris Jacobi Vernat, & Amadei Grimenfis contentis, necnon de aliis in eisdem censuris expressis, sive in eis pre memorate opiniones notentur, sive non, Nobis, ac Sanctae Sedi Apostolicae reservamus.

§.5. Decernentes inluper praesentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos ubique judicari, & definiti debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane esse quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Transumptum  
fides.

§.6. Volumus autem, ut praesentium transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate Ecclesiasticae constitutae munitis eadem fides prorsus adhiberetur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa.

§.7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. 7. Kal.  
Julii 1665.  
An. XI.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, septimo Kal. Julii Pontificatus nostri Anno XI.

D X.

Concedit facultatem Congregationi Cassinensi Ordinis S. Benedicti alienandi bona stabilia usque ad summam centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, pro liberatione Monasteriorum ab aere alieno.

Venerabili fratri nostro Francisco Episcopo Portuensi S. R. E. Cardinali Barberino nuncupato, Congregationis Cassinensis Ordinis S. Benedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori.

ALEXANDER PAPA VII.  
Ven. Fr. salutem, & Apost. benedictionem.

Expositio.

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis

Cassinensis Ordinis S. Benedicti, quod dicta Congregatio propter bellorum, pestis, inundationum, & tempestatum, aliaque infortunia, quae ejus Monasteria cum extrema fere eorum ruina respective passae sunt, a multis annis miserabilem in statum redacta reperitur, ac ex causa tot malorum cum singula Monasteria Procurariae Generali de taxis debitis juxta repartitionem, pro solvendis oneribus Cameralibus satisfacere nequirent, Congregatio ipsa aere alieno centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, & viginti trium bajocchorum monetae in forte principali diversorum annuorum perpetuorum, & redimibilem censum ad favorem diversarum personarum, ac etiam Locorum Piorum respective impositorum, contrahere coacta fuerit, nempe pro rata centum quinque millium quingentorum septuaginta octo scutorum nomine Monasteriorum particularium, pro quibus pecunias reperite eidem Congregationi facile fuit, ac pro rata reliquorum quinquaginta septem millium trecentorum triginta unius scutorum, & viginti trium bajocchorum nomine proprio ipsius Congregationis pro illis Monasteriis, pro quibus eorum nomine tantae pecuniae reperiri nequiverunt, quaque proinde in debito hujus summae erga Procurariam Generalem peculiari ratione remanserunt, prout distinctius exprimitur in notis vulgari Idiomate factis tenoris qui sequitur, videlicet.

§.1. Nota de Censi, che in forti principali si sono imposti dalla Congregazione Cassinense in nome proprio per causa dell' infrascripti Monasterj, che non hanno corrisposto al pagamento delle Tasse, che ciascuno di essi doveva per la sua rata, per li quali a nome loro il danaro non si è potuto trovare, e percio ciascuno di quelli è restato debitore alla Procuraria Generale nella somma, che gli si assegna, come segue. Monasterio di Gangi scudi 545., baj. 78. Di Monte Scaglioso scudi 10250., baj. 48. Di Castrovallari scudi 3596., baj. 78. Di Gaeta scudi 1215., baj. 20. Di Perugia scudi 1504., baj. 30. Di Cesena scudi 1051., baj. 50. Di Modena scudi 2837., baj. 77. Di Bobio scudi 2128., baj. 23. Di Pavia scudi 2455., baj. 16. Di San Simpliciano scudi 8740., baj. 80. Di San Pietro Gessa scudi 1149., baj. 1. Di Asti scudi 16935., baj. 32. Di Ragusa scudi 2623., baj. 2., e  $\frac{1}{2}$ . Di Lerino scudi 2297., baj. 67., e  $\frac{1}{2}$ . Nota de capitali de Censi, che dalla Congregazione Cassinense sono stati imposti a nome particolare di ciascuno dell' infrascripti Monasterj, li quali ne restano debitori nella somma, che a ciascuno viene assegnata secondo il ripartimento, che segue per non aver soddisfatto le Tasse, che ognuno di loro doveva per la sua rata alla Procuraria Generale, per pagare li pesi Camerali: Monasterio di Monreale scudi 1000. Monte Scaglioso scudi 29267., baj. 50. Cava scudi 6000., e 100. Napoli scudi 800. Aversa scudi 500. Monte Casino scudi 5769. Perugia scudi 34550. Cesena scudi 1548., baj. 50. Ravenna scudi 900. Mantova scudi 700. Modena

dena scudi 3600. Regio scudi 1000. Parma scudi 7550. Bobio scudi 2392. San Spirito di Pavia scudi 1400. San Simpliciano sc. 3500. Firenze scudi 1000. Cassa Veneta sc. 4000.

Postulatio.

§.2. Quia vero aere alieno hujusmodi in dies augetur, nec possibile est illud ex redditibus Monasteriorum praedictorum extenuare, nedum extinguere, quinimo ipsum aere alieno impedimento est, quominus eadem Monasteria oneribus Cameralibus, quae quotidie maturantur, satisfacere valeant. Idcirco his omnibus in Capitulo Generali dictae Congregationis hoc anno Perusii celebrato mature consideratis, cognitioque nullum aliud superesse remedium, quo eadem Congregatio ab aere alieno hujusmodi, illiusque interaluri liberetur, atque ita afflictus illius status aliquantum sollevetur, quam si ad alienationem tot bonorum stabilium ad Monasteria supra scripta spectantium pro rata debiti unumquodque illorum respective juxta Notas praesertim contingentis deveniatur, dilecti pariter filii Praesidens, & Definitores ipsius Congregationis memorato Procuratori Generali commiserunt, ut a Nobis, & hac Sancta Sede facultatem obtinere contenderet eidem Congregationi, ejusque Monasteriis ex eorum bonis stabilibus alienandi usque ad summam dicti aere alieni, pro rata tamen, & quantitate bonorum singulis quibuscumque Monasteriis per ipsum Procuratorem Generalem cum consensu, & decreto tunc servanda, & distribuenda juxta respective debitum, quod unumquodque ex Monasteriis praefatis cum dicta Procuraria Generali habet, ad effectum pecunias retrahendas ex bonis per singula Monasteria alienandis perfolvendi in manibus ejusdem Procuratoris Generalis in satisfactionem debiti cum dicta Procuraria singula Monasteria tangenti, quas pecunias dictus Procurator Generalis teneatur unico contextu deponere penes Montem Pietatis de Urbe ad creditum Congregationis, & sui liberam dispositionem, ad hoc ut erogentur non in alium usum, quam in extinctionem tot Censuum arbitrio suo specificandorum ex causa praedicti debiti a Monasteriis non satisfacti, respective, sicut praemittitur, impositorum cum pactis solitis, & consuetis, ac in contractibus conveniendis, & alias prout in eorumdem Praesidentis, & Definitorum decreto in Capitulo Generali hujusmodi die 11. Maii proxime praeteriti emanato uberius dicitur contineri.

§.3. Quare dictus Procurator Generalis Nobis humiliter supplicari fecit, ut licentiam alienandi bona Monasteriorum supra expressorum pro summa, & quantitate centum sexaginta duorum millium nongentorum novem scutorum, & viginti trium bajocchorum hujusmodi, ac pro rata debiti unumquodque ex eisdem Monasteriis, sicut in notis praesertim expressum est, respective tangenti concedere, & ut infra, Bull. Rom. Tom. VI. Par. VI.

indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Annuit Pont.

§.4. Nos igitur ipsum Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinatis, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum consilio, circumspeditioni tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam facultatem singulis supra scriptis Monasteriis pro rata bonorum in notis praesertim expressa, auctoritate nostra Apostolica, pro tuo arbitrio, & conscientia gratis concedas. Dummodo tamen ante tibi constituerit ipsam facultatem in evidentem eorumdem Monasteriorum utilitatem esse cessuram, nec alia commodiori ratione praenarratum aere alienum posse dissolvi, ipsumque aere alienum fuisse legitime contractum, & non alias, & dummodo bona ipsa vendenda nulli vinculo, aut oneri, praesertim vero Missarum, obnoxia sint; Et in ipsa licentia ut supra concedenda, singulorum bonorum vendendorum, quantitas, & speciales, & individuae eorum qualitates singillatim explicentur, ac describantur, exquisitis etiam, atque habitis circa praedicta omnia, si ita tibi videbitur, informationibus Ordinarii locorum ubi Monasteriorum bona vendenda existant: Ita tamen, ut pretium ex hujusmodi venditionibus retrahendum integre, atque unico contextu in extinctionem dicti aere alieni convertatur. Quod si hujusmodi conversio uno, & eodem temporis articulo fieri non possit, pecunia apud sacram aedem integre deponatur, inde ad alium quemcumque effectum quam praenarrati aere alieni dissolvendi gratia, nullatenus amovenda. Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praefatorum Cardinalium.

§.5. Non obstantibus felic. record. Pauli II., & aliorum Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon Congregationis, ejusque Monasteriorum praefatorum, aliusve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum, hac

Contrarius derogat.

Dat. die 23.  
Julii 1665.  
An. XI.

vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.  
Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 23. Julii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

**D XI.**

Confirmatio Statuti perpetui a Capitulo Ecclesiæ Paderbonen. conditi, & jurati, ne ulli Episcoporum Paderbonen. ex eorum mensæ applicatis, & in futurum applicandis redditibus, &c. quidquam per Capitulum derogetur, aut alio destinetur, & si quid contra fiat id pro nihilo habeatur.

**ALEXANDER PAPA VII.**  
*Ad perpetuam rei memoriam.*

Proemium.

**S**ollicitudo omnium Ecclesiarum inscrutabili Divinæ providentiæ arcano Nobis commissa Nos admonet, ut ea, quæ pro tuendis, atque conservandis Ecclesiarum ipsarum juribus provideo, sapientique statuta noscuntur esse consilio, quo perennissimam firmitate constantur, Apostolici muniminis præsidio roboremus.

Expositio.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit Venerabilis Frater Ferdinandus Episcopus, & Princeps Paderbonen., quod dilecti filii Capitulum Ecclesiæ Paderbonen. ipsius Ferdinandi Episcopi opera, & adhortatione statutum perpetuis temporibus valitum condiderunt, ne ulli Episcoporum Paderbonen. ex eorum mensæ Episcopali nunc applicatis, aut in futurum applicandis, acquisitis, aut acquirendis redditibus, obventionibus, juribus, ac jurisdictionalibus quicquam per Capitulum ipsius Ecclesiæ derogetur, vel detrahatur, aut alio destinetur, & si quid contra fiat, id pro omnino inefficaci, nullo, irrito, ac nihilo habeatur; ipsumque Statutum juramento firmarunt, & alias, prout uberius continetur in eorum literis desuper emanatis tenoris, qui sequitur videlicet.

Statutum Capituli Paderbonen.

Nos Joannes Wilhelmus Baro de Sintzingh Præpositus, Gasparus Philippus a Ketteler Decanus, Joannes Achardus ab Imben Camerarius, Arnoldus a Vittinghoff Condictus Schell Senior, Wilhelmus a Winhelbauren Thesaurarius, Wilhelmus Franciscus a Vittinghoff Condictus Schell Cantor, Adolphus Henricus Droste, Hermannus Wermerus Baro Wolff Metternich, Matthias a Reck Scholasticus, Joannes Henricus Baro de Sintzing, Joannes Adolphus Baro de Frens, Joannes Wilhelmus Baro Wolff Metternich, Franciscus Baro de Frens, Wilhelmus Goscoinus a Ketteler, Wilhelmus Baro de Furfenberg, Joannes Wernerus Baro de Leeradt, Joannes Rutgerus Torch, Simon Mauritius de Lippia, Joannes Georgius de Brugenei Condictus Hatlen-

khamp, Joannes Rutgerus a Hetteler, Canonici Capitulares Cathedralis Ecclesiæ Paderbonen. per presentes notum facimus pro Nobis, & Successoribus nostris, qualiter Nos Wilhelmus a Winhelhaufen, Barones de Metternich, & Furfenberg quidem absentes per Constitutos Procuratores; Reliqui vero in persona in Capitulo Generali Corporis Christi capitulariter congregati, matura deliberatione perpenderit, quod ex argumento fulgoris, auctoritatis Episcopalis non leve simul accedat respectu Cathedralis Capituli incrementum. Cum itaque Episcopis, Germaniæ Sacri Romani Imperii Principibus pro congruo illi statui, ac dignitati servando splendore de amplioribus redditibus, ac juribus provisum esse deceat, quemadmodum pro tempore Episcopo, & Principi Paderbonensi de ejusmodi redditibus, & juribus isti dignitati convenientibus provisum est. Nos de conservatione eorum, & ne in futurum exinde quicquam detrahatur, sed ut tam Princeps statui, ac dignitati suæ congruenter vivere, Subditisque præesse queat, quam ut Nos ejus gratiam, & animi clementissimam propensionem in Capitulum, & Capitulares suos pro Ecclesiæ, ac Patriæ bono tanto certius conservare possimus, solliciti, unanimi voto Capitulari hodierna Congregatione consensimus, ac perpetuo valitura lege decrevimus, prout tenore præsentium sancimus, quod nullo unquam tempore, modo, statuto, decreto, aut capitulari conclusio ulli Episcoporum ex Mensæ Episcopali nunc applicatis, aut in futurum applicandis, acquisitis, aut acquirendis redditibus, obventionibus, juribus, ac jurisdictionalibus per Nos, aut Successores nostros quicquam debeat derogari, vel detrahi, aut alio deinceps destinari, & si quid contra fiat, id pro omnino inefficaci, nullo, irrito, ac nihilo haberi. Utque tanto certius Nos, & Successores nostri ad hujus Statuti inviolabilem observantiam obligemur, volumus illud ipsum expresse sub iis, & inter ea contineri, de quibus accuratissime servandis Nos jurejurando astrinximus, & quilibet Capitularis juxta inveteratam consuetudinem hujus Ecclesiæ jurejurando nudis pedibus ad Altare præfrito sese astringere tenetur, prout, & Nos virtute harum literarum jurato astringimus, & Successores nostri similiter se astringere tenebuntur. In quorum fidem, & permanentem notitiam præsens Statutum Sigilli nostri majoris appensione duximus communiendum. Datum, & Actum Paderbonæ in loco nostro Capitulari Anno Domini millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio die vigesima nona mensis Maii.

**Locus \* Sigilli.**

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memor. Ferdinandus Episcopus, statutum hujusmodi, quo firmius subsistat, stabiliorque vigore perennet, Apost. confirmationis nostræ patrocini communi-

Confirmat Pontif. ut in Rubr.

Dat. die 24.  
Julii 1665.  
An. XI.

ri summopere desideret: Nos laudabile ipsius Ferdinandi Episcopi in tuendis Ecclesiæ suæ juribus studium, plurimum in Domino commendantes, eumque specialis favore gratiæ prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, statutum præfatum, emanataque desuper literas præinfertis cum omnibus, & singulis contentis in illis, auctoritate apostolica, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, apostolicæ firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti, ac solemnitatum quarumcumque in similibus forsan etiam de necessitate observandarum defectus, si qui in præmissis, vel eorum aliquo principaliter, vel accessorie, aut alias quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dicuntur, vel præteriti possent, supplementis, & sanamus, ac penitus, & omnia tollimus, & abolemus.

Decretum irritans.

§. 3. Decernentes eandem præsentem, ac præinfertam literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrarium.

§. 4. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ Paderbonen., etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis eidem Ecclesiæ, ejusque Capitulo, & personis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac etiam consistorialiter, aut alias quomo-

do libet in contrarium præmissorum concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 24. Julii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 24.  
Julii 1665.  
An. XI.

**D XII.**

Confirmatio Decreti Congregationis Episcoporum, & Regularium circa præcedentiam inter Procuratores Generales, & Commissarios Curie, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia.

Ex Regest. in Secret. Brev.

**ALEXANDER PAPA VII.**

*Ad futuram rei memoriam.*

§. 1. **A**lias pro parte dilecti filii Andregæ de Arteaga Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia nuncupatorum Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositæ exposito, quod in Capitulo generali dicti Ordinis novissime in alma Urbe nostra celebrato dilectorum pariter filiorum Bartholomæi de Villalva, & aliorum Exprocuratorum Generalium Ordinis hujusmodi interesse habentium nomine porrectus fuerat Venerabili Fratri nostro Francisco Episcopo Portuen. ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Barberino nuncupato dicti Ordinis apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectori supplex libellus pro obtinenda cassatione cujusdam Decreti die 2. Aprilis 1659. emanati circa præcedentiam inter Procuratores Generales, & Commissarios Curie Ordinis præfati, quod dilectus etiam filius Rochus de Villarcjo, tunc Commissarius Curie hujusmodi ab eodem Francisco Cardinale Protectore subreptitè extorserat, eoque libello per dictum Franciscum Cardinalem Protectorem ad dilectos filios modernos Ministrum Generalem, & Definidores Generales ejusdem Ordinis remisso pro informatione, & voto, ipse Franciscus Cardinalis Protec-

Expositio.

ator voto hujusmodi inherens, præfatum decretum revocaverat, & penitus cassaverat per aliud suum speciale decretum die 30. Augusti 1664. expeditum, quod etiam die 17. Novembris subsequenti a Nobis per nostras in simili forma brevis literas cum opportunis clausulis confirmatum fuerat: Quia vero non videbatur in hoc decreto totaliter expressa, nec declarata hæc particula, *cæteris paribus*, contenta in statuto dicti Ordinis Anno 1651. edito, cujus inviolabilis observatio per decretum hujusmodi specialiter præcipiebatur, nonnulli sub frivolis prætextibus executionem tam statuti, quam decreti, & literarum hujusmodi eludere procurabant, tametsi iam dictum decretum inniteretur informationi, & voto memoratorum Ministri Generalis, & Definitorum Generalium, qui expresse dixerunt, & declararunt præcedentiam competere Procuratoribus Generalibus habitualibus super Commissarios Curie, etiam si ante illos electi fuerint, idque ratione dignitatis majoris, & inequalis juxta præfatum statutum Anno 1651. editum, cui tanquam ultimo decisivo stari debet. Ac propterea per eundem Andream Procuratorem Generalem memorata Cardinalium Congregat. supplicato, ut votum Definitorii Generalis hujusmodi approbaret, & confirmaret, vel ad tollendum omnem dubietatis scrupulum, & litem de novo declararet, præfatum particulam, *cæteris paribus*, quæ dubitandi ansam præbuit, intelligi debere conformiter voto præfati Definitorii generalis, quippe quæ secundum jus commune relationem dicat ad gradus, & dignitates Superiores, itaut Commissarii Curie, si aliquâ aliam dignitatem, vel gradum majorem non habuerint, ejus respectu eis competit præcedentia super Procuratores Generales Ordinis prædicti, semper, & utrobique juxta præfatum statutum debeant, sive actuales, sive habituales Commissarii fuerint, cedere præcedentiam Procuratoribus Generalibus Ordinis hujusmodi tam habitualibus, quam actualibus, non obstante prioritate, vel posterioritate electionis, injungendo pariter sub pœnis, & censuris tam dilectis filiis Ministro Provinciali, & Definitorio Provincia Castellæ, quam quibusvis aliis, ad quos spectat, & spectare possit, cujuscumque Provincia dicti Ordinis sint, ut Decretum memorati Francisci Cardinalis Protectoris, nostrasque literas hujusmodi, ac ipsius Congregationis Ordinationes prompte, & exacte exequantur; emanavit ab eadem Congregatione Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet.

Decr. Sacre Congr. Episcoporum.

Sacra Congregatio Eminentissimorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præposita, partibus auditis & Eminentissimo Braccio referente, censuit, & declaravit verba illa *cæteris paribus* apposita in Decreto Capituli Romani

Anni 1651. circa præcedentiam servandam inter Procuratorem Generalem, & Commissarium Romanæ Curie, prout in actis dicti Capituli, esse intelligenda, quod sicut sine ulla controversia Procurator Generalis actualis præcedet Commissarium Curie actualem, ita Procurator Generalis habitualis omnino debeat præcedere Commissarium Curie habitualem, non attempta etiam antiquitate electionis, aut alio simili prætextu, secus vero si Commissarius Curie fuisset Minister Generalis, vel Vicarius Generalis, vel Commissarius Generalis familia, aut obtinisset aliquam aliam dignitatem altioris Ordinis, per quam non censeretur esse par conditionis, nam tunc præcederet Procuratori, salvis in reliquis dispositis in dicto statuto, Mandat igitur Sacra Congregatio omnibus, & singulis hujusmodi Ordinis Superioribus, ad quos spectat, ut præfatum Brev. Sanctissimi Domini Nostri, & præsentem declarationem exequi, & observari faciant, quibuscumque non obstantibus. Romæ 12. Junii 1665.

M. Cardinalis Ginettus. E. Episcopus Camerinus.

§.2. Cum autem, sicut dictus Andreas Procurator Generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi pro firmiori illius subsistentia Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiti summo opere desideret: Nos ipsum Andream Procuratorem Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adiciamus: salva tamen semper in præmissis auctoritate præfate Congregationis Cardinalium.

Confirmat Pontifex.

§.3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit plenissime suffragari, & ab illis respective inviolabiliter observari; Sicque in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Decretum irritant.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, & aliis quibusvis, etiam juramento,

Contrariis derogat.

to; confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 18. Julii 1665. An.XI.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die vigesima octava Julii 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Ut in Ditionibus, & Dominiis Duci Sabaudie subiectis de præcepto recitetur Officium, & Missa Conceptionis B. M. V. Immaculatae cum Octava.

D XIII.

ALEXANDER PAPA VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Motiva.

Præclara dilecti filii nobilis viri Caroli Emanuelis Sabaudie Ducis, & Pedemontii Principis erga gloriosissimam Virginem Dei Genetricem Mariam devotio facile nos adducit, ut pia ejus vota quibus ejusdem Augustissimæ Cœli Reginae Advocatæ nostræ veneratio promovetur Apostolici favoris benignitate prosequamur.

Supplicatio.

§.1. Supplicationibus itaque memorati Caroli Emanuelis Ducis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut in omnibus Ditionibus, & Dominiis eidem Carolo Emanueli Duci subiectis tum a Secularibus, tum a Regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, Officium, & Missa Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatae cum Octava in posterum de præcepto recitetur cum lectionibus in Octavario Romano a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, & decernimus: idemque Officium ad usum Cleri Ditionum, & Dominiorum præfatorum seorsim ab Octavario Romano imprimi posse concedimus.

Annuit Pontifex.

Derogatio contrariorum.

Transumptis fides præstantia.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Eccl. dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum,

& gentium tam in iudicio, quam extra illud adhibeatur, quæ ipsismet præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 17. Aug. 1665. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 17. Aug. 1665. An.XI.

D XIV.

Committit Archiepiscopo Bisuntin., ac ejus Vicario in Spiritualibus generali, usque ad sententiam exclusive causam assertorum delictorum, quæ Inquisitori Bisuntin. imputantur, eisque tam conjunctim, quam divisim mandat, ut processum desuper conficiant, & ad S.S. transmittant.

Ex Regest. in Secr. Brev.

Ven. Fratri Archiepiscopo Bisuntin., ac dilecto filio ejus Vicario in Spiritualibus generali.

ALEXANDER PAPA VII.

Ven. Frater, ac dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

CUM sicut accepimus, nonnulla aserta delicta dilecto filio Dominico Verneirii fratri expresse profecto Ordinis Prædicatorum, Inquisitori hæreticæ pravitatis in Civitate Bisuntin. auctoritate Apostolica deputato imputentur: Nos de illis informationem capi volentes, Vobis tam conjunctim, quam divisim causam, seu causas delictorum hujusmodi contra præfatum Dominicum cum illius, seu illarum incidentibus, emergentibus, annexis, & connexis auctoritate Apostolica tenore præsentium usque ad sententiam exclusive committimus.

Motiva.

§.1. Mandantes vobis tam conjunctim quam divisim, ut omni diligentia processum desuper dicta auctoritate conficiatis; Nos enim Vobis, & vestrum cuilibet quacumque necessarias, & opportunas ad id facultates harum serie eadem auctoritate tribuimus, & impertimur; Vobisque ut nullam præmissorum occasione irregularitatem contrahatis concedimus, & indulgemus.

Processum confici mandati.

§.2. Cæterum volumus, ut si quid contra memoratum Dominicum resultaverit, Vos informationes, & processum, seu processum, quos in executionem præsentium feceritis, seu alter vestrum fecerit, sub vestris sigillis, seu alterius vestrum sigillo clausos, ad Nos quamprimum transmittatis, ut quod desuper statuendum fuerit, matura deliberatione adhibita, decernamus.

Et clausum ad Urbem mitti.

§.3. Non obstantibus fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri de una, & Concilii generalis de duabus dietis, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, nec non quatenus opus sit, dicti Ordinis, & aliis

Derogatio contrariorum.